226
227

1510. 17. Octobris

Sigismundus I. Rex Poloniae Achilli de Grassis Eppo Castellae:

Solliciti de Vra Rma Pte, quibus Successibus iter ac reditum Suum ad Sanctissimum Dnum peregerit, rogamus, ut nobis Literis Suis perscribere non gravetur. Rogamus autem illam, ut negotiorum Nostrorum memoriam et curam habere, et cum Rmo Dno Cardinali Regino de his conferre velit, ut eô promovente negotium hoc Prutenicum sic finiri possit, ut nos ad bellum commune contra infideles cum caeteris Principibus suscipiendum non impediat. Ad quod liberi domesticô bellô decentius nos adversus Paganos accingere possemus. — 17 Octobris &c.

Eadem Die et Ao.

Sigismundus I. Rex Poloniae Papae:

Legatus Sanctitatis Vrae Rmus Dnus Achilles Episcopus Castellae referet Sanctitati Vrae, qui sit status Rni mei, quod assiduô cum infidelibus bellô fatigatur. Spero tamen in Domino Deo, qui affligit quidem suos, sed non perimit, quod Sanctitas Vra prospicere mihi dignabitur et Rno meo, ut non ad extremum pessundetur, et ideo me Eidem Sanctitati Vrae commendo. — 17. Octobris. 1510.